



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

§. An qui lucratur Indulgentiam, maneat in conscientia liber ab implenda
pœnitentia sibi imposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

solent concedere Indulgentias, non debere excedere illum quadraginta dierum numerum: nihil tamen dicitur de pœnitentiis iniunctis. Denique additur, Romanum Pontificem hanc moderationem observare consuevisse: ex quibus non habetur, quod Episcopus non possit, nisi de iniunctis pœnitentiis, Indulgentias concedere. licet in illo peculiari casu de anniversario festo Dedicationis illa moderatio adhibeatur.

20. Quamvis autem ex vi illorum verborum non videatur colligi limitatio Episcopi ad Indulgentiam de solis pœnitentiis; aliunde tamen probabile mihi est habere illam limitationem: quia formula illa concedendi annum, dies, quadragenas, videtur introducta à principio ad remissionem tantæ, vel tantæ pœnitentiæ iniunctæ: cum verba illa non possint significare annos, vel dies Purgatorij; sed pœnitentiæ Canonibus statutæ: quare illa remissio videtur directè terminari ad tantam pœnitentiam iniunctam, siue ab Episcopo, siue à Summo etiam Pontifice usurpetur. Quare, cum Episcopis solum permittatur in illis casibus concedere annum, vel quadraginta dies Indulgentiæ, videtur esse in ordine ad tempus pœnitentiæ iniunctæ, pro ut olim communiter concedebatur: nec necesse est, quod Episcopus in confessione id exprimat, si verba ipsa se se id significant. Ex hoc tamen non fit, quod Summus Pontifex non concedat vnquam, nisi de pœnitentiis iniunctis, sicut, neque ex limitatione illa sequitur, quod Pontifex non soleat vnquam Indulgentiam plenariam concedere; sed solum quadraginta dierum, vel vnius anni. Dicitur ergo, quod Romanus Pontifex illam moderationem solebat usurpare: quia tunc non nisi raro aliter, quam illa communi formula, & moderatione solebat concedere.

An, qui lucratur Indulgentiam, maneat in conscientia liber ab implenda pœnitentia sibi imposta?

21. EX hæcenus dictis sequi hoc videtur: si enim Indulgentia liberat à reatu pœnæ debitæ, pro quo debito fuerat imposita satisfactio sacramentalis; consequens est, ut cessante illo debito, cessare etiam debeat obligatio ad satisfactionem: idè enim diximus, Pontificem liberare posse indirectè ab obligatione ad pœnitentiam, quatenus per Indulgentias tollit materiam, in qua fundabatur illa obligatio. P. Suar. *suprà*, disp. 38, sect. 10. n. 10. dicit, hodie raro, vel nunquam licere omittere pœnitentiam iniunctam propter Indulgentiam susceptam; quia, cum adèd exiguæ pœnitentiæ imponantur, vix sufficiunt per modum medicinæ: quare, licet cesset necessitas satisfactionis; non cessat necessitas medicinæ sub qua etiam ratione impositæ sunt. Quam sententiam multi Recentiores sequuti sunt.

22. Communis tamen sententia, (si fallor,) antiquorum, & Recentiorum simpliciter, & vniuersaliter affirmat, liberari pœnitentem ab obligatione implendi pœnitentiam. Quam videtur expressè docere S. Thom. in 4. *distinct.* 20. *quest.* 1. *artic.* 3. *questiunc.* 1. ubi solum dicit, esse de consilio, pœnitentiam implere, quando quis lucratur Indulgentiam. Eodem modo loquitur Nanarrus §. in *Lentico*, notab. 21. num. 43. & 44. Sylu. *verb.* *Indulgentia*, num. 23. Angelus *ibi*, num. 1. in fine. Armilla *ibi*, num. 12. & 17. Et quidem Theologi generaliter, & absque vlla distinctione dicunt per Indulgentias tolli obligationem implendi pœnitentias. Videatur Vigner. *cap.* 16. §. *vers.* 2. r. Alex.

Alens. 4. p. q. 2. *membr.* 1. *art.* 1. Bonavent. in 4. *dist.* 20. *art.* 1. q. 2. Arget *ibi*. q. *unic.* *art.* 4. Richard. *art.* 1. *quest.* 1. Durand. *quest.* 4. n. 9. Palatinus *disp.* 3. *pag.* 432. *col.* 2. Palud. *quest.* 4. Adrian. *quest.* de *Indulgent.* §. de *mat.* *Indulgent.* Valent. *lib.* de *Indulgent.* cap. 2. & 6. Valquez *quest.* 94. *art.* 2. *dub.* 3. num. 1. Coninch in *presenti*, *disp.* 12. *dub.* 3. in fine, & ceteri communiter.

Probatur primò ex dicto, *cap. cum ex eo in fine de pœnit. & remiss.* ubi Innocent. III. dicit, per in. *tauer.* *discretas*, & *superfluas Indulgentias satisfactiones sacramentales enervari*. Ergo idèd, quia auferuntur obligatio implendi pœnitentias: alioquin, si manet obligatio implendi illas, saltem ratione medicinæ, nihil prorsus enervabitur satisfactio. Secundo probatur hoc ipsum clarè ex Bonifacio VIII qui, ut refert Glossa in *prædicta Extravaganti, Antiquorum, de pœnit. & remiss.* nolebat, Confessarios imponere aliquam pœnitentiam iis, qui Inbilum anni sancti lucrabantur: quia, nimirum, satisfactioe alia non indigebant. Tertiò denique à priori ratio est, quia Confessarius imponit pœnitentiam, vel pœnam, ad satisfaciendum pro peccato: ergo sublato debito totius pœnæ, pro ut fit per Indulgentiam, cessat omninò fundamentum illius obligationis: sicut, si condonaretur à Principe pœna debita pro aliquo crimine, eo ipso cessaret obligatio imposita per sententiam Iudicis ad pœnam aliquam pro illo delicto subeundam.

Dicunt, pœnitentiam non solum imponi ad satisfaciendum; sed etiam in medicinam, & remedium ad præcavendum in futurum, ut colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. Ergo, etiam si cesset per Indulgentiam obligatio satisfaciendi pro peccato, potest obligare pœnitentia, quatenus imposita fuit, ut medicina. Respondetur, imponi quidem frequenter etiam ut medicinam: Confessarius tamen non potest obligare, nisi quatenus illam imponit in pœnam peccati. Sicut, licet Index debeat procurare, quod pœna delinquentis sit talis, ut simul sit medicina in futurum; non tamen posset imponere illam pœnam, nec verberare eum, si pœna fuisset à Principe condonata. Sic Sacerdos, qui simul est Medicus, & Index, potest punire peccata imponendo pœnam pro illis; quia, quia Medicus est, debet simul curare, quod sit talis, ut sit etiam remedium, & medicina in futurum. Ceterum, si pœna totaliter condonetur, non potest obligare ad medicinam: quia Medicus, ut Medicus, non obligat, sed consultat. Quod semper intelligitur de medicina non simpliciter necessaria ad vitanda peccata futura: posset enim pœnitens in aliquibus circumstantiis, propter suam dispositionem, & necessitatem, indigere aliquo remedio ad vitandum periculum peccati: & tunc Indulgentia non tolleretur hanc obligationem: quia hæc obligatio non oritur ex præcepto Confessarii; sed ex iure ipso naturali, quo obligatur homo ad vitandum peccatum suum futurum, & per consequens ad vitandum remedium, quod censetur moraliter necessarium ad vitandum peccatum: quam obligationem Confessarius non imponit, sed declarat. Loquendo autem de obligatione noua, quam Confessarius imponit, illa solum provenit à potestate iudiciaria, qua potest punire, & ligare obligando ad pœnam.

Nec Concilium Tridentinum illo *cap.* 8. aliud insinuat: non enim dixit, Sacerdotem posse obligare præcipiendo medicinam, ut talis est; sed dicit Sacerdotem debere curare, ut pœnitentia non solum sit medicina in futurum; sed etiam in vindictam præteriti. Nam claus, inquit, Sacerdotum, non

non ad soluendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent. Quæ ratio potius ostendit, non posse Sacerdotem obligare, nisi quatenus imponit penitentiam, vt penam: si enim ligat etiam imponens vt medicinam, ineptè argueret Concilium probans, debere Sacerdotem non solum imponere medicinam; sed etiam penam: quia habet potestatem etiam ligandi: qui arguendi modus, vt subsistat, supponit, potestatem ligandi non exerceri, quatenus medicina imponitur.

26. Confirmatur: quia, si condonata pœna, Sacerdos adhuc obligaret ad ieiunium per modum medicinæ, peto, an illud ieiunium deberetur, vt satisfactio sacramentalis, quæ sit pars Sacramenti, vel non. Vt satisfactio deberi non potest: quia qui nihil iam debet pro peccatis, non potest obligari ad soluendum; nec potest puniri à Iudice ille, cui condonata est pœna: ergo illud ieiunium non imponitur vt satisfactio: ergo non erit pars integralis Sacramenti. Ex hoc autem inferitur, nec posse imponi vt puram medicinam: quia inauditum est, quod penitens ex mero præcepto Confessarij obligetur ad aliquid, quod, si ponatur, non possit esse pars integralis Sacramenti: omnes enim dicunt, satisfactionem sacramentalem, quæ est tertia pars huius Sacramenti, esse illa opera, quæ Confessarius penitenti imponit. Dicitur quidem aliquando Confessarius obligare penitentem ad restitutionem, vel ad relinquendam occasionem proximam: illa tamen est loquutio impropria, vt constat, quia Confessarius non obligat, sed declarat penitenti obligationem, quam iam habet; & negat absolutionem, dum suæ obligationi non satisfaciit. Obligatio autem propria, qua Sacerdos obligare potest, apud omnes conueniunt cum impositione penitentiae, quæ est pars integralis huius Sacramenti. Cum ergo, posita Indulgentia, non possit obligari penitens ad aliam satisfactionem exhibendam, consequens est, vt nulla obligatio Confessarij manere possit.

27. Dices iterum: Manebit adhuc obligatio implendi penitentiam, saltem propter reuerentiam Sacramenti, & eius integritatem, ne maneat Sacramentum imperfectum sine vna parte integritati. Sed contra hoc est: quia, vt optime notat, & fatetur ipse, Suarez in presenti, disputat. 50. sect. 1. num. 7. hoc Sacramentum non postulat hanc integritatem satisfactionis, nisi propter hunc effectum satisfaciendi pro pœna, & idè illo conueniunt, non est contra reuerentiam Sacramenti, quod illa integritas omitatur. Imò addit idem Suarez, cum hoc Sacramentum sit iudicium iustum, ex se postulare, vt non exigatur satisfactio ab eo, qui vel debitum iam soluerat, vel remissionem debiti consequutus est.

28. Instabit aliquis: quia, si per Indulgentiam aufertur omnino obligatio implendi penitentiam impositam: ergo, etiam penitens velit illam implere, propterea de facto communiter omnes eam implent, illa satisfactio nullam habebit effectum ex opere operato: quia, quod non oritur ex obligatione & præcepto Confessarij, non est pars huius Sacramenti, nec eleuatur per clausulas ad effectum sacramentalem operandum. Respondetur distinguendo: nam, vel penitentia impletur, postquam concessa quidem est Indulgentia; sed antequam penitens illam lucraretur, vt contingit in Iubilæo, confessio enim fit, antequam homo lucraretur Iubilæum: & tunc penitentia erit pars Sacramenti, & dabit effectum satisfactionis ex opere operato, quia adhuc manebat debitum pœnæ, & durabat

P. Ioan. de Lugo, de Penitentia.

obligatio ex præcepto Confessarij ad satisfaciendum, si non esset aliunde extinctum debitum. Vel penitentia impletur post obtentam Indulgentiam: & tunc, si Indulgentia non abstulit totum illud debitum, sed partem; penitentia operabitur effectum sacramentalem quoad aliam partem, quæ remanet: & fiet verè, ex præcepto Confessarij durante, quandiu non est extinctum totum debitum.

29. Denique, si Indulgentia extinxit totum debitum pœnæ, eadem videtur esse difficultas, si penitens alijs pijs operibus non iniunctis à Confessario satisfecisset pro illo debito pœnæ, an penitentia postea impleta operaretur effectum sacramentalem ex opere operato. In quo casu Pater Suarez disputat. 50. sect. 1. num. 16. cum Durando probabile putat, ei, qui per Indulgentiam, vel propriam satisfactionem extinxisset iam debitum pœnæ illorum peccatorum, pro quibus penitentia imposita illi fuit, si tamen postea penitentiam sibi impositam exequatur, illam penitentiam prodesse ex opere operato ad delendam pœnam debitam pro alijs peccatis. Quod tamen mihi difficile est: quia, vt supra dixi, opera imposita à Sacerdote per clausulas non eleuantur, nisi ad effectum illius Sacramenti operandum, qui est remissio perfecta illorum peccatorum, à quibus Sacerdos absoluit. Quis enim credat, quod possit illa satisfactio ex opere operato remittere pœnam debitam pro peccato post ipsam confessionem commissio? Ratio: quia solum operatur, vt punitio sacramentali, per quam Sacerdos nomine Christi punit, & commutat pœnam debitam in talem penitentiam: Sacerdos autem non punit peccata futura, nec alia, nisi ea, de quibus iudicat in illa Confessione: ergo non commutat in illam penitentiam, nisi pœnam debitam pro illis peccatis. Denique, cessante obligatione, cessat punitio: quia actus puniendi oritur à coercitua, qua Iudex potest obligare, & cogere ad pœnam: sed posita aliunde satisfactione, vel condonatione totali, cessat obligatio penitentis ad illam pœnam: ergo illa iam non erit punitio sacramentalis ex defectu materiæ, circa quam deberet versari, vt posset esse vera punitio, atque idè non mirum, quod obtenta Indulgentia, illa satisfactio non habeat effectum ex opere operato, nec sit satisfactio sacramentalis, cum non sit satisfactio pro peccatis, quæ pertinet ad illud Sacramentum.

30. Hinc inferitur primò, tempore Iubilæi posse Confessarium leuiiores penitentias imponere; obligando tamen penitentem ad lucrandum Iubilæum: ad hoc enim conceditur illa remissio à Pontifice, vt subleuetur penitens, qui pro tantis peccatis non poterat agere debitam penitentiam: quod redundat etiam in leuamen Confessarij, qui frequenter nescit, quomodo peccatori ingentibus peccatis grauato possit congruentem penitentiam imponere, præsertim, cum ad quamlibet penitentiam grauiorem difficilem eum inneniat.

31. Inferitur secundo, hoc pacto posse etiam Confessarium providere penitenti, quem inuenit grauatum multis penitentis ex antea actis confessionibus, quas non impleuit: in quo casu, vt vidimus disputat. 25. sect. 6. Confessarius non potest commutare illas penitentias, non auditis prioribus peccatis: poterit tamen commutare illas in aliquam Indulgentiam plenariam, quam penitens lucratur: quo pacto eum liberabit ab eo onere. Imo, cum hic modus liberationis non oriatur ex potestate secundi Confessarij, sed ex subtractione materiæ, quatenus per Indulgentiam extinguitur illud

B B b 2

illud debitum pœnæ, consequens est, ut possit hoc etiam extra confessionem facere: quinimò ipsemet penitens, si homo doctus esset, potuisset facere illam commutationem: nam re verà non ipse facit; sed Summus Pontifex, qui per concessionem Indulgentiæ tribuit facultatem extinguendi debitum pœnæ, quod erat fundamentum illius obligationis. Quas illationes approbant vici doctissimi Salmanticenses à me consulti, & illas etiam inteno approbas apud Patrem Ioannem de Salas, & Patrem Alphonsum Rodriguez in suis *Manuscriptis*, utrumque virum scriptis, & doctrina satis notum. Qui etiam cum aliis prudenter advertunt, consulendum semper esse penitenti, ut opera imposita, quoad fieri possit adimpleat, nec debere pœnitentias omitti Indulgentiarum occasione: quia illa opera imposita etiam fuerunt à Medico ex desiderio salutis: & quia profunt ad meritum, quod pluri faciendum est, quam redemptio pœnæ temporalis: & quia frequenter homo reus est maioris pœnæ, quam putat: & facile continget, ut post Iubilæum, etiam reus maneat alicuius pœnæ; quia propter varias causas Indulgentiæ effectus potuit, ex aliqua saltem parte, impediri. Ultimo advertendum est, doctrinam positam locum habere, quando quis lucratur Indulgentiam plenariam; non verò si lucratur parvalem: quia fortasse illa non æquivalet toti pœnæ, quam pro illis peccatis penitens debebat.

SECTIO III.

De thesauro Ecclesiæ, qui per Indulgentias dispensatur.

32.
Ecclesiæ thesaurus an
datur.

Fuit prima sententia Maironis in 4. distinct. 19. quæst. 2. non dari talem thesaurum, neque ex satisfactionibus Christi, neque ex satisfactionibus Sanctorum. Fundari autem videtur in alia sententia falsa, quod satisfactiones, aut merita Christi non fuerint infiniti valoris, quam impugnauimus disp. 6. de Incarn. sect. 1. Sed adhuc data illa sententia, non negant eius Auctores, accepta fuisse à Deo Christi merita ad valorem quasi syncategorematicè infinitum, hoc est, cum sufficientia ad redimenda omnia peccata hominum quoad culpas, & pœnas: quod sufficeret in rigore ad perpetuitatem thesauri, ut probat bene Suarez disp. 5. sect. 1. n. 7.

Secunda sententia est Durandi in 4. dist. 20. q. 3. qui negant, hunc thesaurum constare ex meritis, vel satisfactionibus aliorum Sanctorum præter Christum. Tertia sententia esse potest, quod thesaurus constet etiam ex meritis de congruo Sanctorum; non tamen ex satisfactionibus condignis superfluis: in cuius favorem multa congerit Suarez sect. 2. num. 7. licet ipse tandem eam deserat.

33.
De fide est
dari thesaurum constan-
tem ex meri-
tis, & satis-
factionibus
Christi.

Prima conclusio sit, thesaurum constantem ex meritis, & satisfactionibus Christi negari non posse salua fide. Ita enim docet expresse Clemens Papa VI. in Extravag. *Vnigenitus de pœnitentia, & remiss.* vbi ad concessionem Indulgentiæ plenissimæ præsupponit hoc fundamentum de thesauro infinito, quem Christus Ecclesiæ militanti acquisiuit, cuius thesauri dispensationem Petro, & eius successoribus commisit. Idem definiuit Leo X. in Bulla ad Caiet. quem refert idem Caiet. 3. part. quæst. 48. art. 5. Et quidem supposito valore Indulgentiarum, quem Maironis non negat, non potest negari, illum fundari in meritis Christi, cum nullum nobis beneficium spirituale conferatur, aut condonatio pœnæ, nisi propter Christum: si ergo est potestas in Ecclesiâ condonandi debitum pœnæ extra Sacramentum, debet fundari in valore

meritorum Christi. & eius satisfactionum, quæ satisfactiones sunt causa magis vniuoca, & homogenea, ac proinde magis proportionata ad expiandum debitum pœnæ, atque adeo non debent excludi ab hoc thesauro.

Secunda conclusio sit, hunc thesaurum constare etiam ex satisfactionibus superabundantibus aliorum Sanctorum. Hæc conclusio colligitur ex verbis eiusdem Clementis VI. in dicta Extravag. *Vnigenitus.* vbi addit: *Ad cuius quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis, & omnium Electorum à primo iusto usque ad vltimum meritum administratum præstare noscuntur.* Idem constat ex illa Bulla Leonis X. vbi expresse ait, Pontificem thesaurum Iesu Christi, & Sanctorum posse dispensare, quod sub excommunicationis pœnâ teneri, atque doceri præcipit. Denique hoc ipsum constat ex Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra propositiones Michaelis Baij, inter quas sexagesima erat hæc: *Per passionem Sanctorum Indulgentiis communicatis non proprio redimuntur delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passionem impariuntur, ut digni sumus qui pretio Sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.* Ratio denique est: quia Sancti habuerunt plurimas satisfactiones, quibus ipsi tunc non indigebant, eò quod vel sufficienter soluisent, & satisfecissent iam prius pro debito proprio: vel, quia maior fuit satisfactio, quam debitum, ut contingit Martyribus atrocissima tormenta patientibus. Deus autem, qui nullam meritum condignum absque præmio reliquit, cum illis operibus, ut satisfactoriis nullus effectus correspondisset, congruentissimè illa opera in thesauro suæ memoriæ reliquit, ut saltem in aliis indigentibus aliquando effectum possent habere; cuius thesauri clanes, & dispensationem Summo Pontifici commisit.

Vnde infero contra tertiam sententiam, non sufficere, quod merita congrua Sanctorum sint in thesauro, & concurrent quæ de congruo ad effectum Indulgentiæ. Primum, quia Leo X. in prædicta Bulla docet, hanc concessionem Indulgentiæ, & dispensationem thesauri, fieri per modum absolutionis, vel suffragij, vel solutionis: soluere autem dicit obligationem pretij condigni pro pœnâ: quare non concurrunt Sancti per sola merita congrua, sed per satisfactiones condignas. Vnde idem Leo X. Pontifex præmiserat, concedi Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum: vbi præpositio, ex, videtur significare pretium potius, quam causam impetrantem. Et postea subdit, hunc thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum dispensari. vbi etiam verbum dispensandi significare videtur erogare, & soluere pretium. Denique propositio illa Baij supra relata, & reiecta à Pio V. & Gregorio XIII. continebat, per passionem Sanctorum, Indulgentiis communicatis non proprie redimuntur delicta. Vnde in rigore sermonis fatendum erit, quod passionem Sanctorum reposita in thesauro concurrunt redimendo, hoc est, soluendo de condigno pro pœnâ à nobis debita.

Quomodo autem satisfactiones præteritis Sanctorum possint nunc prodesse de condigno? Respondet Suarez dicta sect. 2. num. 17. ad 2. Durandi, plene rationem esse; quia ipsimet Sancti in hac vita habuerunt intentionem, saltem virtuales, eas applicandi aliis, qui indigerent. Hæc tamè ratio difficilis est. Primum, quia etiam si aliquis iustus posset vellet, suum ieiunium non reponi in Ecclesiæ thesauro, quia se indignum, v. gr. æstimaret, cuius opera in thesauro manerent, adhuc reponeretur, si ipse non indigeret, nec alteri applicaret: ergo id non oritur

34.
Cuius meriti
ex satisfac-
tionibus
Sanctorum,
Clem. VI.

Baij.

35.
Sic plene
meriti con-
grui.

36.
Quomodo
plene
rationem
præstat.